...tki: De epilepsia, quaestio medica. 1658.

DE EPILEPSIA QVÆSTIO MEDICA.

Pro loco inter Clarissimos & Excellentissimos Medicæ Facultatis Doctores & Professores in Peraugustâ & Florentissimâ Vniuersitate Cracouiensi obtinendo,

Publicè ad Disputandum

Per HYACINTHVM LOPACKI, *Artium Liberal. Magistrum Philosophiæ ac Medicinæ Doctorem Consulem Cracouiensem,*

PROPOSITA:

Decidetur & Disputabitur in Collegio Maiori Lectorio D. D. Theologorum.

Anno recuperatæ per Christum Salutis. 1658. Mense Junio Die 4.

CRACOVIÆ.

Apud Viduam Lucæ Kupisz, S. R. M. Typogr.

IN STEMMA
ALMÆ ACADEMIÆ CRAC:



Sceptra ſuæ connexa cruci quæ circulus ambit.
Regia Sceptra duo Regius ambit honos.
Ambit honos ſed onus dignum conforme laborem
Ambit; vt hunc partus laude ſequatur honor.
De Jouis hæc veniunt cerebro duo Sceptra: laborum
Palladis è cerebro præmia penſat honos.

Vtrum Epilepſia ſit omnium actionum animalium, tàm principum quàm ſenſoriæ, ac motus voluntarij abolitio; ſolo motu conuulſiuo ſeſe exerente, proueniens ex Ventriculorũ cerebri obſtructione, membranasq; eius vellicatione, à vapore, qualitate aut quantitate peccante, eaſdemq́; irritante; cureturq́; præſidijs Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis: nec ne?

CONCLVSIO I.

EPilepsia est actionum omnium animalium, tàm principum quàm sensoriæ ac motus voluntarij abolitio.

COROLLARIA.

I. *Epilepsia formaliter est symptoma.*

II. *Facultas animalis in Epilepsia, primo ac principaliter, frustratur sua actione.*

III. *Ablata ratiocinatio, imaginatio, memoriâ, tùm sensuum internorum & externorum atq; motus priuatio, motu conuulsiuo manente sunt signa pathognomonica Epilepsiæ.*

IV. *In aliqua Epilepsiæ specie contingit seruari principes actiones sensus atq; motum.*

V. *Spiritus animalis qui in cerebro generatur non influit in organa sensus atq; motus.*

CONCLVSIO II.

SOlus conuulsiuus motus in Epilepsia se se exerit.

COROL-

COROLLARIA.

I. Motus conuulsiuus in Epilepsia est motus deprauatus.
II. Partes quæ mouentur motu conuulsiuo principium suum seu cerebrum versus mouentur.
III. In aliqua Epilepsiæ specie non adest conuulsio.
IV. Stridor dentium in Epilepsia est motus conuulsiuus.
V. Et si pars aliqua v.g. oculi aperti & immoti videantur, tamen & tùm est motus partis præter naturam seu deprauatus.

CONCLVSIO III.

EPilepsia materialiter, seu subiectiuè, est potissimum in ventriculis cerebri.

COROLLARIA.

I. Cerebrum in Epilepsia est subiectum quandoq; proportionis, quandoq; constitutionis, quandoq; vtrumq;.
II. Cerebrum aliquando per essentiam, aliquando per consensum diuersarum partium afficitur in Epilepsia.
III. Apoplexia, Caros, Tetanus, diuersi sunt affectus ab Epilepsia & si in illis quoq; animalis aboleatur functio vel deprauetur.
IV. Cerebrum vt pars instrumentaria in morbo comitiali, & non vt similaris afficitur.
V. Partes neruosæ primario, musculosæ secundario hic patiuntur.

CONCLVSIO IV.

EFficienter Epilepſia dependet à vapore, qualitate aut quãtitate peccante, irritante ſcilicet & obſtruente.

COROLLARIA.

I. Epilepſia eſt morbus malæ compoſitionis ſeu in via.

II. Qualitas in morbo Herculeo partim eſt manifeſta partim occulta.

III. Vapor cauſa Epilepſiæ peccat hic & in ſpeciem, vt eſt ſanguineus, bilioſus, pituitoſus, melancholicus, & in vitium Speciei, quod eſt in ſubſtantia ſi eſt putridus, in quantitate ſi copioſus, in qualitate prima vel ſecunda, vel occulta, & in motu ac quiete.

IV. Humores videlicet Cholericus, Sanguineus, pituitoſus, melancholicus, lac, vermis, venenum in corpore. ſecundariæ ſunt in Epilepſia cauſæ materiales.

V. Calor debilis eſt ſecundaria in hoc morbo cauſa prout nimirum eleuat vaporem.

CONCLVSIO V.

CVratio Epilepſiæ fit per præſidia Chirurgica, Pharmaceutica, & Diætetica.

COROLLARIA.

I. Indicatio hîc locum habet vt principale præsidium seu instrumentum Experientia, & Analogismus vt secundarium.

II. Indicatio sumitur à forma & à subiecto & à causa efficiente in hoc morbo.

III. Venæ sectio, cucurbitæ scarificatæ & non scarificatæ, hirudines, cauteria, setacea, vesicãtia, & omnia reuellentia ac deriuantia habent hic locum.

IV. Pharmaceutica remedia, euacuantia, alterantia, primas ac secundas qualitates, tum occulta alexipharmaca specifica vi & proprietate pugnantia, vt Vnicornu, Vngula Alcis, radix Pæoniæ, Corallium, Smaragdus, Aqua Hirundinum, Picarum, cerasorum nigrorũ dulcium &c. decoctum Rad. Chinæ. Ligni sancti, sunt hic opportuna.

V. Sex res non naturales summoperè attendi debent in curatione istius morbi, maximè cibi excrementitij, graueolentes, facile corruptibiles fugiendi, omnisq; repletio euitanda, potißimum vaporosorum vt est Apium Petroselenum &c. tum cibi ij qui peculiari vi Epilepsiam excitare credũtur, vt carnes hædorum, Epar hircinum, & caprinum, coturnices, paßeres, anguillæ de quibus Forestus lib. 10. in Schol. obseruat. 57. non statim post cænam dormiendum atq; animi pathemata vehementia excitanda.

Sub Felicissimis Auspicijs.

Magnifici ac Clarissimi Viri,

DD. FRANCISCI ROLINSKI,

Philosophiæ & Medicinæ Doctoris & Professoris in Almâ Acad. Crac. studij Generalis Rectoris Vigilantissimi Vrbis Cracou: Senatoris Meritissimi.